



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 40. Diversa S. Congregationum decreta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII. stantes extra Ecclesiam occidunt vel  
 A. C. 1729. mutilant eos, qui intra Ecclesiam vel  
Cæmeterium stant. IV. Eos, qui con-  
 fugientibus vim inferunt, eosque ab  
 Ecclesia vel loco immuni violenter ab-  
 strahunt. V. Mandantes & mandata-  
 rios, etsi pecuniæ promissio &c. non  
 fuerit adimpleta, dummodo assassinium  
 re ipsa fuerit patratum. VI. Interfi-  
 cientes proximum animo præmeditato  
 ac deliberato. VII. Falsificantes lite-  
 ras Apostolicas VIII. falsos monetarios  
 IX. denique eos, qui se in alienas do-  
 mos introducunt, animo perpetrandi  
 rapinas, easque cum homicidio & mu-  
 tilatione committunt. Statuit vero  
 Pontifex, quod soli Episcopo competat  
 declarare, an delictum sit a jure asyli  
 exceptum.

## §. XL.

*Diversa S. Congregationum  
decreta.*

Exstant insuper plura decreta, quæ  
 S. Congregationes Romanæ hoc  
 anno ediderant, & quidem die vige-  
 sima quinta Januarii S. Rituum Con-  
 gregatio declaravit, quod festum sep-  
 tem Dolorum B. V. si concurrat cum  
 officio secundæ classis, ad proximum  
 sabbatum transferatur, si autem sab-  
 batum



batum post Dominicam Passionis officio altioris ritus fuerit impeditum, tunc dictum festum eo anno penitus omit- tendum sit. Die decima nona Julii S. Congregatio Indicis solemniter decreto, quod & Pontifex confirmavit, sequentes proscripsit libros. I. Animadversiones Justi Böhmeri in Institutiones Juris Ecclesiastici Claudii Fleury. II. Casimiri Commentarium de scriptoribus Ecclesiæ III. Censuram S. Facultatis Duacensis in quasdam propositiones de gratia ex dictatis DD. Langrand & Marchal. IV. Discursum contra Persecutionem V. Epistolice Dissertationem Scoti super facti quæstione, utrum Angelicus Doctor revera docuerit, B. V. fuisse immunem a peccato originali. VI. Historiam Vertoti de Equitibus S. Joannis Jerosolym. VII. Joannis Gasparis Suicen Thesaurum Ecclesiasticum ex PP. Græcis. VIII. Joannis Georgii Wolchy Commentarium Concilii Lateranensis a Benedicto XIII. celebrati. IX. Joannis Martini Occo- nensis Theologiam speculativam, X. Novum Itinerarium Italiæ Auctore Missono XI. Observationes Addisoni in varia Italiæ loca XII. Spiritualem Directorem pro his, qui nullum habent. XIII. Tractatum de legibus civilibus & Ecclesiasticis contra Hæreticos XIV. **Trium-**

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1729.



Sæc. XVII. Triumphum misericordiæ, id est S. Or-  
 A. C. 1729. dinis SS. Trinitatis institutum.

Præterea annuente Pontifice S. Ri-  
 tuum Congregatio die 27. Jan. & 1. ac  
 10 Febr. & 14. Martii 18. Julii conce-  
 fit, ut festum SS. Redemptoris sub ritu  
 duplici majori a Venetis, Officium  
 S. Scholasticæ V. & S. Wenceslai, ac  
 S. Petri Chrysologi ab omnibus, qui ad  
 horas Cænonicas tenentur, & B. Se-  
 raphini ab Asculo a FF. Minoribus  
 S. Francisci celebrari queat. Insuper  
 S. Congregatio Indulgentiarum die nona  
 Februarii ad preces Augustini Romani  
 Abbatis Camaldulensis in omnibus Or-  
 dinis Ecclesiis indulget privilegium quo-  
 tidianum perpetuum Altari S. Romual-  
 di: pariter ex benevolentia summi  
 Pontificis Ordini Servorum B. V. data  
 est facultas nomina Sanctorum & San-  
 ctarum proprii Ordinis litanis majori-  
 bus adscribendi. Censuit quoque die  
 sexta Augusti S. Rituum Congregatio  
 concedendum esse, ut propriæ lectio-  
 nes secundi Nocturni & tres Oratio-  
 nes in Missa S. Joannis Nepomuceni in  
 Regno Bohemæ, in tota Germania,  
 ac hæreditariis statibus Domus Au-  
 striacæ singulis Annis die 16. Maij in-  
 posterum recitarentur, & sequens Elo-  
 gium Martyrologio apponeretur: *De-  
 cimo septimo Kalendas Junii. Praga in  
 Bohæ.*



Bohemia S. Joannis Nepomuceni Metro-  
 politanæ Ecclesiæ Canonici, qui frustra  
 tentatus, ut sigilli Sacramentalis fidem  
 proderet, in flumen Moldavam dejectus,  
 Martyrii palmam emeruit.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1729.

§. XLI.

*Principes atque Illustres hoc anno  
 denati.*

Inter Principes Ecclesiasticos hoc anno  
 defunctos ingens sui desiderium re-  
 liquit Christophorus Franciscus Herbi-  
 polensis Episcopus, qui Anno 1673. ex  
 illustri & perantiqua Huttenorum gente  
 ortus, Majorum suorum decora sibi  
 propria fecit. Elegantiores literas  
 velut gradus ad altiora enitenti neces-  
 sarios a prima juventute imbibit, ex-  
 coluit, protexit. Postea in ornatissi-  
 mam Lotharii Francisci Archiepiscopi  
 & Electoris Moguntini aulam accitus  
 virtutum omnium præclara exempla  
 suspexit, ac presse imitatus est, am-  
 plosque fructus ex variis itineribus re-  
 portavit, quos ætate matura in lega-  
 tionibus, aliisque perhonorificis Offi-  
 ciis publicæ utilitati, & Ecclesiæ bono  
 impendit; latinæ insuper, Gallicæ,  
 Italicæ & Hispanicæ linguæ peritissi-  
 mus lectioni utilium librorum horas,  
 quas paucas habebat, subsceivas sacra-  
 vit,